

CORN. IANSENII COMMENTARIA

CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

1 Post hæc surrexit Nathan , propheta in diebus Dauid.



Ermanica æditio habet  $\pi\tau\tau\sigma$ , post hunc, nempe Samuelem: Complutensis,  $\pi\tau\tau\sigma$ , post hoc, quomodo & Rabanus habet, & vnum scriptum Tongerlense, quamvis partu ad rem faciat, quo quis modo legatur. Transitus ad commendationem Dauidis, interponit post mentionem Samuelis prophetæ, mentionem prophetæ Nathan, qui prophetico spiritu sic in plerisque bene consuluit Dauidi, sicut Samuel consuluerat Sauli, quem & verisimile est gesta Dauidis conscripsisse, sicut Samuel Saulis.

2 Quasi adeps separatus à carne , sic Dauid à filijs Israel.

M Vlti libri eam partem ; & quasi adeps saturatus est à carne; iungunt cum præcedenti , vt ad Nathan pertineat , quomodo & Rabanus intelligit. At eam partem pertinere ad sequentia, sicut alij distinguunt, satis indicat , quod perficiendo comparationem subiicitur; sic Dauid. Superest autem coniunctio , & , quæ in multis libris legitur ; & quasi adeps. Nam vt illa non est in Græcis, ita nec in aliquot scriptis, nominatim in Biblijs Bessarionis. Itaque absolute incipiendum est; Quasi adeps, &c. Habent autem Græca pro , à carne ,  $\kappa\pi\delta\sigma\omega\tau\kappa\rho\iota\delta$  , à salutari. Et intelligitur per salutare, hostia pacificorum, quæ pro salute Domino offerebatur, cuius adeps solus cremabatur, peccatum autem & armus dexter erant sacerdotis, reliquæ carnes edebantur cum gratiaru actione ab offerentibus. Comparatur ergo Dauid non cuius adipi, sed adipi qui Deo sacratus erat in sacrificio pacificorum. Et significatur, quod quemadmodum in tali sacrificio adeps præ carne reliqua separatus erat, & quasi sanctior erat, cum in honorem Dei combineretur, reliqua vero caro ab offerentibus etiam laicis comedebatur: sic Dauid apud Deum separatus fuit à filijs Israël, hoc est, præ illis à Deo electus, & ei gratus, quamvis etiam omnes filii Israël essent Deo velut carnes sanctæ . Ex commentario omnino certum videtur Rabanum legisse; Quasi adeps salutaris separatus à carne; sic enim habet: Quod autem dicit eum separatum à carne, quasi adipem salutarem ostendit eum, &c. Proinde omnino verisimile est nostrum interpretem vertisse; Quasi adeps salutaris separatus à carne; sic tamen vt dictio, salutaris, sit non nominatiui causus , quemadmodum intellexit Rabanus , sed genitiui , vt dictum sit; adeps salutaris; sicut in psalmis dicitur: Calicem salutaris accipiam; ubi etiam est sicut hic,  $\sigma\omega\tau\kappa\rho\iota\delta$  , & significatur sacrificium pacificorum, in quo edendo etiam calix cum lætitia sumebatur . Porro præposita hac magna Dauidis commendatione, quedam eius insignia facta commemorat, quorum illud quod sequitur primum est.

Cum

3 Cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit sicut in agnis ouium.

**T** Oletanum exemplar legit ἐπεινωσεν, hoc est, familiariter egit, & velut hospites habuit. Alia tamen aeditio habet, sicut noster se legisse declarat, & melius, ἐπεινωσεν, lusit. Alluditur autem ad id quod Dauid dixit de seipso ad Saul, quod cum pasceret gregem patris sui, interficerit leo- 1. Reg. 17. nem & vrsum, rapientes ouem ex grege. Et quamvis in scriptura tantum dicatur singulariter de leone & vro, pluraliter hic dicitur; cum leonibus & vrsis; per amplificationem, significans illum eadem facilitate cum multis vel præstis, vel potuisse præstare. Et alioqui numerus pluralis nonnunquam ponitur pro singulari, sicut & econtrà. Dicitur autem Dauid cum feris illis lusisse, sed ludo ipsis feris malo, ad significandum summa cum facilitate, ac sine trepidatione, immo cum voluntate illum feras illas superasse, non autem magnis laboribus & sudoribus, sicut in prelio fieri solet, quemadmodum & ipsum Goliad velut per ludum deiecit in iactu fundæ, de quo & sequitur:

4 In iuuentute sua nunquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente?

5 In tollendo manum in saxo fundæ, deiecit exultationem Goliæ.

**I** llud, in iuuentute sua, quidam coniungunt superioribus, alijs sequentibus, & perinde est, quia vtrunque in iuuentute factum est, vnde Saul dixit Dauidi: Non vales resistere Philisthæo isti, quia puer es. 1. Reg. 17. Porro quod in superandis feris Dauidi datum fuit, fiduciam ei addidit etiam gigantem aggrediendi, vnde bene secundum istud factum superiori subjicitur, quo occidendo gigantem abstulit opprobrium de gente Israëlitica, quia ille, vt habet historia, exprobrabat agminibus Israël, quod non ferens Dauid zelo Dei accensus, dixit: Nunc vadam, & auferam opprobrium populi; quoniam quis est incircensis iste, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis? Et vt significaret quanta facilitate & paruo negotio ipse iuuenis tam potètem virum vicerit: In tollendo, inquit, manum in saxo fundæ, hoc est, eleuando manum suam cum laude fundæ (pro, saxo, enim est λίθῳ, lapide) re scilicet minima deiecit exultationem Goliæ, qua scilicet despiciens Dauid dixit ad eum confidenter: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli & bestijs terræ. Cæterum vt intelligatur Dauidem non sua virtute tantum opus perfecisse, subditur:

6 Nam inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ.

**M** Vlti libri habent; Vbi inuocauit Dominum, verum cum Græca habeant, ἐπεινωσεν γάρ, Inuocauit enim; & Græcis consentiant quædam

CORN. IANSENII COMMENTARIA

dam scripta, quæ habent; Nam inuocauit; meritò hæc lectio præferenda & retinenda est. Inuocauit, inquit, Dominum omnipotentem, vel, ut quædam scripta habent, potentem, & is dedit in dextera eius, ut tolleret hominem qui in pugnando fortis erat, & sic exaltaret cornu gentis suæ, hoc est, sublimem faceret gloriam & potentiam populi sui, quem Goliath omnino deprimere conabatur. Phrasî enim Hebraica cornu sæpè pro gloria ponitur & potentia, metaphorâ desumpta à cor-nigeris bestijs, quarum gloria, potentia, & fortitudo in ipsorum cornibus sita est.

7 Sic in decem milibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ.

**C**ommuniter verba, glorificauit & laudauit, referuntur ad Deum, vt significetur Deum glorificasse Dauidem, & laudasse eum, hoc est, laudabilem eum fecisse in benedictionibus suis. At cùm hæc dura sit expositio, & quia durè etiam dicitur Deum laudasse illum in benedictionibus Domini, cùm dicendum fuisset; in benedictionibus suis; omnino videntur hæc verba referenda ad populum Israëliticum, de quo mox præcedit; exaltare cornu gentis suæ. De ea enim gente liberata iam subiungitur quid in gratiarum actionem præstiterit. Sic, inquit, hoc est, propterea, populus liberatus glorificauit eum in decem milibus; quia scilicet attribuit ei tam gloriosam victoriam ac si decem milia per-  
s. Reg. 18. cussisset. Alludit enim hic Sapiens ad id quod scribitur 1. Reg. 18. quòd, cùm Dauid reuerteretur percutto Philisthæo, & ferret caput eius in Ie-rusalem, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrribus Israël, cantantes, chorosque ducentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid de-cem millia. In eo autem quod sequitur, populū laudasse Dauidem in be-nedictionibus Domini, &c. omnino videtur ad Psalmum 20. respectus haberi, in quo populus sic introducitur Deum & Dauidē laudans: Quo-niam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide prætioso. Proinde ex hoc loco satis patet, illum etiam Psalmum, et si ad Christum potissimum pertineat, tamen ad lite-ram de Dauide intelligendum, vt sit Psalmus populi gratulatorius pro salute per Dauidem obtenta, sicut præcedens est Psalmus populi pre-catorius pro salute sui regis. Sensus ergo huius loci est: Populus lau-dauit Dauidem propter singularia dona quæ Dei benedictione in eo fuerunt, cùm inter alia Deus ei obtulit coronam gloriosam, hoc est, re-giam dignitatem.

8 Contriuit enim inimicos vndique, & extirpauit Philisthijm con-trarios vsque in hodiernum diem, contriuit cornu ipsorum vsque in æternum.

**C**oniunctio, enim, sicut non est Græcis, ita nec apud Rabanum. No-  
num enim beneficium per Dauidem populo præstitum hic com-me-mora-

moratur, nempe quod inimicos Israëlis varijs bellis contriuenterit, ut scribitur 2. Reg. 8. & præcipue quod extirpauerit, vel, vt habent Græca, 1. Reg. 3. οὐαίνωστε, hoc est, ad nihilum redegerit Philisthæos, qui erant præcipui hostes populi illo tempore, qui & tempore Saulis maximè erant infesti populo, & illo cæso dominabantur eis. Hos ergo imprimis extirpauit, non quidem omnes occidendo, sed ita eos diminuendo & reprehendo, vt nunquam deinceps sint dominati Israëli: vnde de Dauid dicitur loco prædicto, quod tulerit frenum tributi de manu Philisthijm, & hic dicitur quod contriuenterit cornu ipsorum, hoc est, potentiam & imperium usque in æternum.

9 In omni opere dedit confessionem sancto, & excelsa in verbo gloriae.

**C**oniunctio, &, sicut non est Græcis, ita nec in multis scriptis, & quamuis subintelligi & addi possit, potest tamen etiam coniunctim legi; sancto excelsa. Exprimit hic versus & aliam Dauidis commendationem, nempe quod cum varia & insignia opera designaret, non tamen ea sibi tribuit, nec in eis superbuit, sed in opere suo dedit confessionem laudis sancto, excelsaque Domino, ei omnem tribuens laudem, & confitens illius omnia virtute peracta esse, non sua. Idque fecit in verbo gloriae, hoc est, sermone gloriose & præclaro, aut sermone qui gloriam Dei exprimeret, Psalmis scilicet celeberrimis a se conscriptis, in quibus Deum toties vocat fortitudinem suam, refugium, illuminationem, protectorem vitae suæ, atque adiutorem suum.

10 De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam.

**G**ræca tantum habent; In omni corde suo laudauit; & dilexit eum qui fecerat eum; ita vt aperte satis hic Dauidi tribuatur, non solum quod in toto corde laudauerit Deum, sed etiam quod in toto corde dilexerit: quod bene notandum contra eos qui volunt neminem in hac vita diligere Deum in toto corde. Auget hic versus quod dictum est superiori versu, & demonstrat quod non simpliciter dederit Deo confessionem & laudem, sed quod id ipsum fecerit in vel ex toto corde suo, iuxta id quod de se Dauid aliquoties dicit: Confitebor tibi Domine in toto corde meo; hoc est, valde seriò & ex animo penitus, sine omni fictione & torpore. Et quia id nemo facere potest, nisi qui etiam in toto corde diligit, subiicit; Et dilexit Deum. Dilectionis huius causam nostra litera duplarem indicat, nempe & quia Deus creator eius esset, ac proinde etiā omnis boni fons: & quia dederat illi contra inimicos potentiam. Verbum enim, dedit, coniungendum est cum verbo, fecit, vt etiam eius suppositum sit relativum, qui, & sit sensus: Dilexit Deum qui & fecit eum, & dedit illi contra inimicos potentiam.

Et stare

CORN. IANSENII COMMENTARIA

11 Et stare fecit cantores contra altare , & in fono eorum dulces fecit modos.

A Dicitur conuenienti ordine superioribus , quod magis etiam Dauidis virtutem declarat, nempe quod non satis ei fuerit Deum laudare, idque toto corde, sed quod etiam ad excitandum in Dei laudem totum populum instituerit ordinem cantorum, qui psalmos a se aut alijs compertos decantarent : quos & stare fecit contra altare , hoc est, coram altari holocaustorum , atque e regione eius . Quibus non tantum cantandi potestatem , & psalmos decantandos tradidit , sed etiam in fono & cantu eorum fecit dulces melodias , siue tradendo eis etiam rythmum dulcem melodiam reddentem, siue constituendo ut in cantu iungeretur variorum instrumentorum musicorum suauitas, quemadmodum describitur in primo lib. Paralip.

12 Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora usque ad consummationem vitae.

13 Ut laudarent nomen sanctum Domini , & amplificarent mane Dei sanctitatem.

P Ro, celebrationibus, Græcè est ἡ οράσις, hoc est, festiuitatibus aut festiuis diebus : proinde conuenit nomen, celebrationibus, accipere pro celebritatibus, hoc est, celebribus diebus, qui etiam significantur cum dicitur ; ornauit tempora ; ea scilicet quæ statuta erant festiuitate celebranda . Indicant ergo hi versus, quid boni secutum sit per cantorum institutionem , nempe quod hac ratione festiuis diebus, qui à populo celebrandi erant ex legis præscripto, addiderit magnum decus & ornamentum , qui prius rudi modo pergebantur: quodque eadem illa tempora ornauerit, addito illo quo prius carebant splendore, idque fecit usque ad consummationem vitae suæ, semper scilicet, maxime in senectute, sollicitus pro augendo & ornando cultu diuino, atque in ea solitudine immoriens , ad hoc ut cantores instituti laudarent nomen sanctum Domini , & magnificarent etiam singulis diebus, idque mane, Dei sanctitatem , ita scilicet ut diem inciperent à Dei laude, quemadmodum cōstitutum legimus 1. Par.23. vbi sic habetur : Leuitæ ut stent mane ad confitendum & canendum Domino , similiterque ad vesperam , tam in oblatione holocaustorum Domini , quam in sabbathis & Calendis & solennitatibus reliquis . Porro per Dei sanctitatem eti intelligi possit Dei integritas & puritas , imprimis in Deo prædicando: hic tamen videri potest significari nomen sanctum Dei, quia Græcè est, τὸ ἄγιον μακάυτον. Sic autem Septuaginta vocant nomen Dei proprium, ut superius dictum est capite 45.

Sup. cap.  
45.

14 Christus purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternū cornu eius.

Et de-

15 Et dedit illi testamentum regni, & thronum gloriæ in Israel.

**N**ouissimè de Davide commemorat quòd peccatorum suorum in quæ inciderat remissionem consecutus sit à Deo, ita ut non solùm propter peccata sua regno non exciderit sicut Saul, sed etiam promissionem stabilitatis regni æterni consecutus sit. Mirum autem meritò videri potest, quomodo hic author Christum & expectatum tunc Messiam dicat purgasse peccata Dauidis, cùm tunc adhuc non fuerit, sed adhuc expectaretur. Hac sanè de causa videri potest in quibusdam codicibus nomen, Christus, mutatum in spiritus. Sic enim habet codex Beſarionis, & alia aliquot scripta. At Græcè nec, Christus, est nec, spiritus, sed κύριος, Dominus. Et hanc veram esse lectionem, nec esse, vt aliqui existimare possent, depravatam, magis videri potest quòd in verbis Nathan dicentis, Dominus quoque transtulit peccatum tuum; sit sicut 1. Reg. 12. hoc loco, κύριος. Verisimile ergo est nostrum interpretem etiam vertisse, Dominus, sed in lectione quadam ecclesiastica, qua quæ hic dicuntur de Davide, applicantur Confessoribus in Missæ epistola, nomen κύριος, mutatum esse in nomen, Christus, quia in nouo testamento per quandam appropriationem nomen, Domini, Christo ferè tribuitur, sicut & in epistola Iudæ nomen, Iesus, positum est, vbi Græca habent κύριος, Dominus, cùm legitimus, Iesus populum suum ex Ægypto saluans, secundò eos qui non crediderunt perdidit. Ex hac ergo exemplari lectione deinde factum videtur vt etiam in Biblijs pro nomine, Dominus, poneretur Christus, & postea pro, Christus, quia id nomen non videbatur bene congruere, à quibusdam scriptum esse, Spiritus, quia vtrunque nomen similiter solet apud antiquos scribi, vt adhuc in antiquis Biblijs inuenitur. Nam nomen Christi scribitur etiam apud Latinos literis Græcis χριστός: nomen vero spiritus, οὐρανός. Ut est, Latinis etiam Christus noster rectè dicitur purgasse peccata Dauidis, aut, vt est Græcis, abstulisse peccata, quia ipse sicut est agnus qui occisus est ab origine mundi, ita etiam ab origine tollit ex præuiso suæ passionis merito totius mundi peccata, & quatenus Deus fuit ab æterno, etiam cum patre & spiritu sancto purgauit omnium peccata remittendo ea.

16 Post ipsum surrexit filius sensatus, & propter illum deiecit omnem potentiam inimicorum.

**D**E Salomone instituit narrationem, eius tum dona, tamen vitia commemorans. Secundam huius sententiae partem Græca aliter habent sic: καὶ διὰ αὐτὸν κατέλυσαρχίην πλατυσμῷ, hoc est, propter illum habitauit in latitudine. Cui consonat id quod legitur apud Rabanum; & propter illum requieuit in latitudine. Cuius lectionis etiam meminit Glosa Ordinaria, eamque habebant duo exemplaria Tongerlensia, quamuis in margine etiam altera lectio addita fuit, proinde illa Rabani lectio meritò præferenda esset. Duo exéplaria M. N. Augustini Hunæi vtramque

CORN. IANSENII COMMENTARIA

lectionem in contextu habebant sic; Et propter illum deiecit omnem potentiam inimicorum, & requieuit in latitudine. Ergo saltem vel sic legendum est, & est sensus: quod Deus propter Dauidem tempore Salomonis represserit omnem potentiam inimicorum, ita ut nemo vel vellet vel auderet se illi opponere, sicque ipse habitauit & requieuit in latitudine animi, securitate scilicet & libertate, non coarctatus aduersariorum violentia. Aut in latitudine regni, quia scilicet Deus propter Dauidem amplificauit eius imperium, ita ut longè lateque dominaretur, ut dicitur 3. Reg. 4.

17 Salomon imperauit in diebus pacis, cui subiecit Deus omnes hostes.

18 Ut conderet domum in nomine suo, & pararet sanctitatem in sempiternum.

**S** Vo, possum est pro, ipsius, scilicet Dei, & significatur ideo Deum Salomoni tempora pacifica concessisse, ut posset erigere domum ad gloriam nominis eius. Pro, sanctitatem, hic rursus est ἀγιασμός, qua dictione hic significatur templum Deo sanctificatum, quemadmodum & alibi, & nominatim Psal. 88. ubi legimus: Prophanasti in terra sanctuarium eius. Proinde apud nos nomen, sanctitas, accipi conuenit pro sancto Dei templo.

19 Quemadmodum eruditus est in iuuentute sua, & impletus est quasi flumen sapientia.

**I**llam partem; quemadmodum eruditus est in iuuentute sua; nostri ferè referunt ad praecedentia, ut significetur Salomonem aedificasse templum, iuxta quod institutus fuit in iuuentute à Dauide patre: qui non solum ei impensas construendi templi preparauit, sed etiam ei omnium ædificandorum descriptionem tradidit, ut scribitur Paralip. 28. At non solum in Græcis hæc pars refertur ad sequentia, sed etiam in multis scriptis Latinis, in quibus hic est nouæ sententiae initium. Itaque dictio, quemadmodum, accipi hic debet admiratiuè posita, pro, quam, sicut in illo Psalmo: Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus; ut sit sensus: O quam etiam in iuuentute sua fuit eruditus & sapiens à Deo factus. (Est enim Græcis ιεοφισθη) & quam impletus est sapientia, quasi flumen, hoc est, sicut flumen abundat aquis, quas alijs largiter communicat: ita & ipse abundabat sapientia, quam in alios copiosè diffudit. Sapientia enim diuina abunde repletus est, etiam in iuuentute, cum ad Deum in oratione dixit: Ego sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum. Notandum & illud quod Germanica æditio habet in secunda persona ιεοφισθη & ιωλισθη, hoc est, repletus es, ut hic incipiat Apostrophe ad Salomonem, quæ postea continuatur. Quæ lectio maiorem habet vim & gratiam, & in quibusdam etiam scriptis Latinis reperitur, ut meritò illa præferenda sit.

Et ter-

20 Et terram retextit anima tua, & replesti in comparationibus ænygmata.

**G**RÆCA non habent in principio coniunctionem, &, vt intelligamus hic nouæ sententiæ esse initium. Pro, retextit, Græcè est ἐπιτελεῖν, operuit. Itaque significatur animum Salomonis tanta fuisse sapientia, vt per eam quam elocutus est sapientiam operuerit, hoc est, repleuerit omnem terram, quia vt dicitur 3. Reg. 4. Veniebant de cunctis populis ad 3. Reg. 4. audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis regibus terræ qui audiebant sapientiam eius. Cui intelligentiæ conuenit quod Græca in sequenti parte habent sic: Et replesti (terram scilicet) parabolis ænygmatum. Noster interpres aut posuit compositum, retextit, pro suo simplici, texit: aut potius legit ἐπεκάλυψε, reuelauit vel retextit. Et erit sensus: quid anima & spiritus Salomonis Dei sapientia donatus, detexerit totam terram, aperiendo & explicando omnium quæ in terris sunt naturas, quia, vt dicit scripture, Disputauit super lignis à cedro quæ est in 3. Reg. 4. Libano usque ad hysopum, quæ egreditur de pariete. Et disseruit de iumentis & volucribus & reptilibus & piscibus. Iam quod nos legimus; Et replesti in comparationibus ænygma; significat quid multa admodum ænygma elocutus fuerit in suis comparationibus, hoc est, parabolis, quas vel locutus est, vel scriptas reliquit.

21 Ad insulas lögè diuulgatū est nomē tuū, & dilectus es in pace tua.

**E**X historia patet huius sententiæ veritas. In ea enim dicitur & quomodo ad omnes terras & populos nomen eius innotuerit, & quomodo & ab exteris & maximè à suis dilectus fuerit ob pacem quam habuit cum omnibus, & quæ suis præstita fuit tempore ipsius. Dicitur enim quid habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Iuda & Israel absque timore ullo, vnuquisque sub vite sua, & sub fico sua, à Dan usque Bersabee, omnibus diebus Salomonis.

22 In cantilenis & proverbijs, & comparationibus & interpretationibus miratæ sunt terræ, & in nomine Domini Dei, cui cognomen est, Deus Israel.

**Q**Vædam Græca habent ἀδαίμασσας, hoc est, miratæ sunt te, vt fit sensus: Terræ variæ, vel, vt est Græcis, χώραι, regiones, sunt te admiratæ propter carmina, &c. Tria vel quatuor ponuntur in quibus homines admirati sunt Salomonem, quæ & cōmemorantur satis 3. Reg. 4. 3. Reg. 4. Pro cantilenis Græcè est ἀλαῖς, hoc est, canticis & carminibus, de quibus dicitur quid fuerunt carmina eius quinque milia, vbi etiam Septuaginta habent ἀλαῖς. Ex his carminibus partem habemus in libro qui dicitur Canticum Cantorum, quasi præcipuum omnium carminum eius. De proverbijs & parabolis, quæ frequenter pro eisdem ponuntur, dicitur quid locutus sit Salomon tria milia parabolas, ex quibus partem habemus in libro qui dicitur Parabolæ, vel Proverbia Salo-

CORN. IANSENII COMMENTARIA

monis . Interpretationes Salomonis insinuantur, cùm ibidem dicitur,  
3. Reg 10. quòd disputauit & differuit de omnibus arboribus & animalibus. Item,  
cùm, regina Saba veniente vt tentaret eum in ænigmatibus, docuit eam  
Salomon omnia verba quæ proposuit . Quod sequitur ; & in nomine  
Domini Dei, cui cognomen est Deus Israël ; quidam coniungunt cum  
sequenti verbo, collegisti. Sic enim apud Rabanum distinguitur, vt ibi;  
Et in nomine Dei tui ; sit principium nouæ sententiae. At melius iun-  
gitur cum verbo, miratae sunt, quia omnino videtur author hic alludere  
ad id quòd regina Saba dicitur audiuisse famam Salomonis in nomine  
Domini, quodque eadem audiens & videns sapiétiam Salomonis, adeo  
mirata sit, vt non haberet vltra spiritum , dixeritque inter cætera ; Sit  
Dominus Deus tuus benedictus , cui complacuisti , & posuit te super  
thronum Israël, eo quòd dilexerit Dominus Israël. Additur autem; cui  
cognomen Deus Israël ; ad differentiam Deorum quos aliæ regiones  
colebant , quæ confitebantur Deum Israëlis in Salomone & populo  
Israël esse mirabilem, & hoc in illis præstare quod ipsorum dij suis non  
præstarent, nec præstare possent. Mollius hæc pars coniungitur in Græ-  
cis cum præcedentibus, quia non habent coniunctionem, &, vt sit sen-  
sus : Nationes propter carmina , parabolas, &c. miratae sunt in nomine  
Dei Israël, qui scilicet tantam sapientiam dederat Salomoni.

23 Collegisti quasi aurichalcum aurum, & vt plumbum complesti  
argentum.

Q Vidam istud intelligunt dictum in Salomonis vituperationem , &  
Deut. 10. in notam auaritiae contra legem Domini , qui in Deuter. præcipit  
vt rex non habeat auri & argenti immensa pondera. At historia regum  
hæc de Salomone commemorat potius in laudem ipsius, vt cui diuitiæ  
immensæ singulari Dei beneficio contigerunt , qui eas ante omnia pe-  
tentia sapientiam, promisit etiam tantas se daturum , vt nemo fuerit si-  
milis ei in regibus cunctis retrò diebus. Itaque postquam Sapiens no-  
ster Salomonem celebrauit ab excellenti eius sapientia, celebrat etiam  
3. Reg. 3. ab eius potètia & diuitijs, respiciens ad id quod de eo dicitur. 3. Re. 10.  
3. Reg. 10. & 2. Paral. 1. Præbuit rex argentum & aurum in Ierusalem quasi lapi-  
2. Paral. 1. des, & cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multi-  
tudine magna . Post commendationem autem & sapientiae & diuitia-  
rum ipsius, subiecit & vitia, in quæ post tanta Dei beneficia prolapsus  
est, vt hinc intelligamus & quanta sit humani ingenij instabilitas , ne  
quis sibi nimis fidat , & quam soleat rerum abundantia vitiorum esse  
causa , ne quis illam nimis ambiat , & quam profunda sint iudicia Dei,  
qui tam perfecta à se sapientia donatum tam grauiter labi passus sit, vt  
illa semper quisque timeat. Itaque dicit :

24 Et inclinasti fœmora tua mulieribus , potestatem habuisti in  
corpore tuo.

Pro;

Pro; potestatem habuisti; Græcè est verbum passuum ηνέγουσασθε, quod rectius verti posset; in potestatem redactus es; vt significetur illum corpus suum subiugasse libidini & voluntati mulierum. Noster in actua accepit significatione, & potest conuenienter accipi vt significetur illum abusum esse suo corpore, & in illo nimiam sibi usurpasse licentiam, ita vt eo usus sit contra Dei præceptum, cui corpus suum subiungere debuisset. Modestè ergo hac sententia notat eius irrefrenatam libidinem, tacens interim de idolatria, in quam non nisi propter libidinem & amorem mulierum incidit. Et, inquit, post tot beneficia à Deo obtenta, deserto Deo inclinasti fœmora tua mulieribus, inordinate illis addictus & coniunctus, atque in corpore tuo, quod Deo subiectum esse oportuisset, tu nimiam tibi potestatem atque licentiam asumpisti. Quid autem hinc mali sit consecutum, & in ipso, & in filio eius atque populo ostendit, cùm subiicit:

- 25 Dediſti maculam in gloria tua, & prophanaſti ſemen tuum.
- 26 Inducere iracundiam ad liberos tuos, & in cæteris ſtultitiam tuam.
- 27 Vt faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum.

**I**N gloria, inquit, tua quam habuisti, magnam dediſti maculam, nec tibi tantum nocuisti, ſed etiam prophanaſti, violasti & contaminasti ſemen tuum, ita vt tuo demerito induceres Dei iracundiam ad liberos tuos, & etiam in alijs, toto ſcilicet populo Dei, induceres ſtultitiam tuam, ita vt eam ipſi ferre debeant, dum propter eam grauem Dei vltionem pati coguntur in eo quod propter te diuifum eſt regnū, & factum eſt imperium bipartitum: ſicque feciſti vt ex Ephraim imperaret imperium durū, hoc eſt, pertinaciter ſemper reſiſtens, nam Græcis eſt ἀπεδει, hoc eſt, rebelle & inobedieſ. Hæc hiſtoria deſcribitur 3. Reg. 11. Illud; & 3. Reg. 11. in cæteris ſtultitiam tuam; Græca aliter haſtent ſic: καὶ παταγυγύνας ἵται τὸ ἄφροσίν τον, hoc eſt, & compungi, vel & compungereris in ſtultitia tua, vt significetur illum ſibi ſua ſtultitia dolorem contraxiſſe, dum ſcilicet qui in pace ſemper vixerat, intelligeret ſibi à Deo inimicos excitatōs, Adad, Razon & Ieroboam, vt ſcribitur loco prädicto. Mirum quid legerit noſter interpres, dum ſic vertit vt legimus, niſi forte fit mendum. Nam vnuſ codex Tongerlensis pro, in cæteris, haſuit in terris. Vnuſ M. N. Auguſtini Hunæi haſuit; in cæteris incitari. Verbum autem, incitari, bene conuenit verbo Græco καταγυγύνας, compungi, proinde credo veram lectionem eſſe; Et incitari ſtultitiam tuam; hoc eſt, vt ſtultitia tua incitaretur in ſeipſa, & dolore compungeretur, cùm intelligeres ſeruum tuum exurgere contra te. Facile autem fuit verbum, incitari, à non intelligentibus mutari in, in cæteris, & poſtea diuerſas lectiones ſimul coniungi.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

28 Deus autem non derelinquet misericordiam suam, & non corrumpet, nec delebit opera sua.

29 Neque perdet à stirpe nepotes electi sui, & semen eius qui diligit Dominum, non corrumpet.

<sup>2. Reg. 7.</sup>  
<sup>Psal. 88.</sup>

**A**lludit in his verbis ad id quod Dauidi promissum fuit 2. Reg. 7. & Psal. 88. vbi dicit Dominus: Si dereliquerint filii eius legem meam, & mandata mea non custodierint, Misericordiam meam nō dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita, &c. Postquam ergo dixit quomodo peccata Salomonis Dominus puniuerit in eius posteritate, subiicit quomodo Deus memor suæ misericordiæ, propter Dauid seruum suum, non in totum reiecerit Salomonis semen, sicut abiecit semen Saulis: Deus, inquit, misericordiam suam, quam promisit Dauidi & semini eius se exhibitum, non derelinquet, nec abieciet à se, aut non prætermittet eam exhibere, & non corrumpet aut perdet, nec delebit opera sua, testamenta scilicet sua & pacta quæ cum Dauide inijt. Hoc est, non perdet à stirpe nepotes electi sui Dauidis, sic scilicet ut penitus esse desinant, & radicibus pereant: & semen eius qui diligit, vel ut est Græcis, qui dilexit Dominum, non corrumpet, nec penitus tollet. Quod per Christum perfectè impletur, per quem semen Dauidis verè fit perpetuum, & perpetuò regnat. Proinde verè admirandam se hic exhibit Dei prouidentia, qua factum est ut sic in Salomonis semine grauissimè & in longum tempus punirentur eius peccata, ut tamen per ea peccata promissa Dei misericordia non tolleretur, sed salua illa maneret semini Dauid in æternum. Et quamvis visideri posset, Dei iustitiam grauiorem intulisse vltionem semini Salomonis propter eius peccata, quam sit beneficium quod Dei misericordia præstítit Dauidis posteritati propter illius virtutem, quia à posteritate eius abstulit decem tribus, & illi tantū duas reliquit: tamen si Christum spectemus, plus longè est quod Dei misericordia propter Dauidem præstítit, quam quod Dei iustitia propter Salomonem abstulit. In Christū enim potissimum respiciebant promissiones illæ de perpetuando & semine & regno Dauidis, quæ quod certius cognosceremus ex Dauid, sicut promissum fuit, prognatū, conueniebat tribū Iuda ab alijs decem separatam esse, atque in ea sola regnum per successionē continuari.

30 Dedit autem reliquum Iacob, & Dauid de ipsa stirpe.

<sup>Sup. cap.</sup>  
<sup>44.</sup>  
<sup>Rom. 9.</sup>

**P**ro, reliquum, hic rursus est sicut capite 44. *κατάλεμμα*, quæ & est apud Paulum, cùm dicit ex Isaia: Reliquæ saluæ sient. Et dictio, Iacob, sicut & dictio, Dauid, est ut patet ex Græcis, datiui casus. Itaque sensus est: Deus dedit ipsi Iacob aliquid reliquum, hoc est, reliquias, ut non in totum semen Iacob abiiceret & perire sineret, sicut alias gentes, & dedit ipsi Dauid reliquias ex ipsamet eius stirpe atque progenie. Et fi-

31 Et finem habuit Salomon cum patribus suis , & dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam.

32 Et imminutum à prudentia Roboam, qui auertit gentem consilio suo.

**C**ommemorat duo mala quæ mortuo Salomone propter eius peccata populo obuenerunt . Primum enim reliquit post se de semine suo filium tam imminutum à prudentia , & deficientem in sapientia, quām ipse in sapientia abundauerat , ita vt dici meruerit gentis stultitia , siue quòd opinione populi talis haberetur , siue quòd exemplum quoddam stultitiae esset in populo , cùm rex in populo sapientia prælucere debeat . Qua autem in re stultitiam suam prodiderit indicat dicens; qui auertit gentem; à se scilicet; consilio suo, hoc est, per consilium suum, quod stulte secutus est ad suggestionem imprudentum inuenum, spredo consilio sapientum seniorum . Quid enim stultius esse potuit quām iste commisit, qui cùm populi fauore ambire ipse debuisset, offrendo eis onerum remissionē, quòd non ea polleret authoritate & gratia qua pater, populo iusta perenti non solum non annuit cùm id fuderent seniores , quorum consilio omnia gesisse debuerat, sed sequens iuniorum consilium , etiam duriora non est veritus comminari . Sunt qui legunt per datiuum , genti stultitiam, vt sit sensus : reliquit ipsis populo stultitiam, sed legendum per genituum, gentis stultitiam, patet ex Græcis.

33 Et Ieroboam filium Nabat , qui peccare fecit Israël , & dedit viam peccandi Ephraim.

**S**ecundum malum est, quòd post se Salomon reliquit (repetendum enim est verbū, dereliquit) Ieroboam non ex suo semine, sed ex seruis suis filium Nabath , qui fuit author Israëli idolatriæ, & dedit ipsis Ephraim viam peccandi, dum erectis vitulis iussit eos adorare, & prohibuit ne religionis causa irent in Ierusalem sicut Dominus promiserat. Vnde secutum est quod subditur . Porro Ephraim peculiariter meminit, quòd Ieroboam ex ea esset tribu quam ob id facile sibi obsequenter habuit, & per eam etiam alias tribus, inter quas illa erat præcipua & numerosior: vnde & in scripturis decem tribus à tribu Iuda separatae sæpe vocantur Ephraim .

34 Et plurima redundauerunt peccata impiorum , valde auertirunt eos à terra sua.

**P**er inductam, inquit , à Ieroboam idolatriam valde sunt peccata eorum coram Deo multiplicata, atque ob id tandem ea peccata alienauerunt eos longè à terra sua quam eis dederat Deus possidédam, & effecerunt vt irato Deo in longinas terras ab Assyrijs abducerentur, quemadmodum scribitur 4. Reg. 17 . Ambulauerunt filii Israël in 4. Reg. 17

CORN. IANSENII COMMENTARIA

vniuersis peccatis Ieroboam quæ fecerat, & non recesserunt ab eis, vsquequo Dominus auferret Israël à facie sua, &c. Hui c simile est quod sequitur :

35 Et quæsivit omnes nequicias, vsquequo perueniret ad illos defensio, & ab omnibus peccatis liberauit eos.

**O**bscurus satis est hic locus, qui tamen Græcis brevior est & clarior. Sic enim habet æditio Germanica, nam Complutensis pauciora habet; καὶ τὰ σταύρον πονηρίαν ἐξετάσας, τὸν ιδίου καὶ ἀδικίαν αὐτοῦ, Et omnem malitiam exquisierunt, donec veniret vltio super eos. Itaque ut nostra lectio restè intelligatur, in verbo, quæsivit, repetendum nomen, Israël vel Ephraim, ut sit sensus : Israël à Ieroboam malè edoctus quæsivit omnes nequicias, hoc est, studiosè qualius peregit, donec à Deo eorum nequitijs prouocato, nec amplius ferre volente, perueniret super illos Dei vindicta, qua Deus defendit se, & se vltus est de iniuria sibi ab eis illata : quæ defensio & vltio liberauit eos ab omnibus peccatis, hoc est, finem imposuit eis peccandi, ut amplius in sua terra Deum suis peccatis prouocare non possent, quæ tam studiosè ibi sectati sunt & exquisierunt. Non enim multi libri habent, sicut nec Rabanus ; liberauit eos Dominus ; sed absolutè, liberauit eos, ut repeti posset nomen, defensio. Hic sane sensus etsi alienus videatur nostræ literæ, quia, liberare à peccatis, solet semper in bono accipi pro, remissionē peccatorum accipere, tamen conuenit originali, & scopo authoris. Certè sequenti capite rursum interpres dictiōnēm in dūnūcōws vertit, defensionis, pro vltione qua se Deus defendit ab iniuria sibi illata.

CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

1 Et surrexit Elias propheta quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat.



Ontinet hoc caput laudes & insigniora facta Eliæ, Heliæ, Ezechiae, & Isaiae. Primum ergo dicit, quod cum iam in populo Israëlitico inundare cœpissent peccata, tum surrexerit Elias, qui erat propheta quasi ignis, quia scilicet totus ardens zelo Dei in seipso, plurquam alij præcedentes prophetæ : unde & verbum eius & sermo ex ignito eius pectore procedens, ardebat quasi fax aut facula, quia scilicet verbum eius magnam habuit vim, tum in monendo & arguendo, tum in agendo cum imperio & efficacia, ut eius facta quæ recensentur hic declarant. unde & Ioannes Baptista dicitur venisse in spiritu & virtute Eliæ.

Qui